

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2021-2022
Devoir sur table : mardi 7 décembre, 8h30-12h30

Version latine n°5 : un stratagème carthaginois

*Exilé en Asie Mineure, Hannibal aide son hôte, le roi Prusias de Bithynie, à vaincre son adversaire Eumène, roi de Pergame, lors d'une bataille navale.
Longueur LC : intégralité. Longueur LM : jusqu'aux crochets droits.*

Superabatur nauium multitudine ; dolo erat pugnandum, cum par non esset armis. Imperauit quam plurimas uenenatas serpentes uiuas colligi easque in uasa fictilia conici. Harum cum effecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat nauale proelium, classiarios conuocat iisque praecipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant nauem, a ceteris tantum satis habeant se defendere : id illos facile serpentium multitudine consecuturos. Rex autem in qua naue ueheretur, ut scirent, se facturum ; quem si aut cepissent aut interfecissent, magno iis pollicetur praemio fore. Tali cohortatione militum facta, classis ab utrisque in proelium deducitur. Quarum acie constituta, priusquam signum pugnae daretur, Hannibal, ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum caduceo mittit. Qui ubi ad naues aduersariorum peruenit epistulamque ostendens se regem professus est quaerere, statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat, quin aliquid de pace esset scriptum. Tabellarius, ducis naue declarata suis, eodem unde erat egressus, se recepit. At Eumenes soluta epistula nihil in ea repperit, nisi quae ad irridendum eum pertinerent. Cuius rei etsi causam mirabatur neque repperiebat, tamen proelium statim committere non dubitauit. Horum in concursu, Bithynii Hannibalis praecepto uniuersi nauem Eumenis adoriuntur. Quorum uim rex cum sustinere non posset, fuga salutem petit, quam consecutus non esset, nisi intra sua praesidia se recepisset, quae in proximo litore erant collocata. [Reliquae Pergamenae naues cum aduersarios premerent acrius, repente in eas uasa fictilia, de quibus supra mentionem fecimus, conici coepta sunt. Quae iacta initio risum pugnantibus concitarunt, neque quare id fieret poterat intellegi. Postquam autem naues suas oppletas conspexerunt serpentibus, noua re perterriti, cum, quid potissimum uiderent, non uiderent, puppes conuerterunt seque ad sua castra nautica rettulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superauit, neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit aduersarios.]

Cornélius Népos